IOHANNES DE TURRECREMATA
Süddeutscher Raum, 1477 Seite 170r
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31292
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster



Bti qui scrutantur diuinas scripturas que sunt testimonia
dei intelligunt cum peccauerint coram testibus deliquisse
et in toto corde scilicet cordis intellectu et amoris affectu
exquirunt deum vt habeant amicum quem deum in
scripturis vident
Bti dico qui ambulant in lege dni Non in iniquitate
quia qui operantur iniquitatem in viis eius non ambulaue-
runt lex enim dni immaculata est vie eius vie pulchre
Et quia merito lex tua sancta custodienda est Tu manda-
sti mandata tua custodiri valde non tepido corde non
dissoluto animo sed fortiter cum magna diligencia et
sollicitudine
Sequo tu dne iubes mandata tua sancta custodire Utinam
dirigantur opera et actus mei qui per se tortuosi sunt ad
custodienda mandata tua quia nisi a te dirigantur vie
mee ego michi non sufficio
Utinam dirigantur vie mee quia Tunc non confundar
in futuro iudicio cum perfecte perspexero in omnibus mandatis
tuis cognoscendis et custodiendis in omnibus ne peccan-
do in vno efficiar omni reus quo ad penam dampni
Si direxeris vias meas non ero tibi ingratus quia
Confitebor tibi confessione laudis in corde meo directo
et iustificato a te pro eo quod didici a spiritu sancto interius
loquente michi vel a sanctis patribus iudicia iusticie tue
inter que est quod obseruans precepta tua iustificatur hic a peccatis
et in futuro consequitur vitam beatam
Dico laudabo te recto corde et insuper Iustificaciones
tuas custodiam opera iusticie faciendo et quia scio dyabolum
circuire ad impediendum non me derelinquat gratie tue
assistencia quia si ad momentum subtraxeris mandata tua
meritorie adimplere non potero
Propheta edocens adolescentem etatem corrigere vitam suam
querendo dicit In quo dirigit adolescencia vitam suam

In vno excedens effi[ciar] omni reus quo ad penam dampni etc